



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

3. An poena contra Symoniacè ordinatos extendatur ad eos, qui prima
Tonsura initiati sunt? Et an suspensio, qua puniuntur simoniacè ordinati,
incurratur per susceptionem cuiuslibet Ordinis? Et an ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

num. 14. Baldellum tom. 1. lib. 3. diffut. 14. num. 12. Homobonum de Bonis in consolat. moral. vol. 2. part. 5. respon. 139. Molfesum in summa tom. 1. tract. 8. cap. 8. n. 67. Alphonsum de Leone de offic. Confess. part. 1. ar. col. 167. num. 36.

3. Non desinam tamen hic apponere verba Iacobi Gordonii in summa tom. 2. lib. 8. quest. 7. cap. 3. num. 7. ubi sic ait. Collegit Suarez hoc peccatum tam esse in suo genere grave & mortale, ut non possit esse veniale ex levitate materiae, sive pretium, sive rem sacram intelligas per materiam. Ratio sit, quia minima materia magnam habet indignitatem, & injuriam annexam, si vendatur, v. g. guttula aquae benedictae: contractus potest & pactio, quia habet sufficientem libertatem, non fit ex inconsideratione sola, itaque est quaedam ignoratio, quae facere potest ut sit veniale, ignorantiam intelligi culpabilem, sed venialem; haec quidem probabiliter dicuntur sequendo de pretio, imò res spiritualis, quò minori datur pretio, eò vilior reputatur, & idem plures docent de mortali delectatione, & de blasphemia. Sed quidquid nunc sit de aliis rebus, certè in hac materia Religiosis, praesertim extra gratiam & Sacramenta, durum videri potest, minimam sacram materiam trahere secum gravissimam Dei offensionem, & tantopere à Patribus exaggeratam, cum etiam intra latitudinem Religionis sint multa alia peccata, quae sunt venialia ex levitate materiae. Hucusque Gordonius Et ideo in peccato Simoniae dari paritatem materiae, docet etiam Reginaldus tom. 2. lib. 23. cap. 15. num. 219. Molina tom. 1. tract. 2. diffut. 92. num. 5. Vnde puto utramque sententiam probabilem esse. Et Bonacina de legib. diff. 10. quest. 2. punct. 8. §. inciden. num. 13. stando in hac sententia secunda putat in Simonia materiam parvam excusantem à mortali esse illam, quae excusaret in furto, sed hoc remittendum esse arbitrio prudentis putat Merolla tom. 1. diffut. 2. cap. 4. dubit. 7. num. 116.

4. Notandum est tamen, quod stando in prima sententia; quaeritur an excommunicatio Extrav. 2. de simonia, & Const. Pij V. incuratur per Simoniam, quae videtur esse parva ex parte pretij: & ex Navarro consilio 51. de simonia, respondet affirmativè Suarez ubi supra cap. 56. num. 8. quia illa simpliciter est peccatum mortale, & ideo est causa sufficiens talis censuræ. Sed stando in secunda sententia in tali casu dicendum est excommunicationem non incurri.

RESOL. III.

An pena contra simoniacos ordinatos extendatur ad eos, qui prima tonsura initiati sunt?

Et an suspensio, qua puniuntur simoniaci ordinati incuratur per suspensionem cujuslibet Ordinis?

Et an ordinatus sit irregularis? Ex part. 11. tract. 5. & Misc. 5. Ref. 17.

§. 1. Affirmativè responder Layman lib. 4. tract. 10. cap. ult. §. 7. num. 11. ubi sic asserit: Quod attinet ad simoniam realem & completam in ordine; per eam incurritur in primis excommunicatio Papæ reservata tam ab ordinante quam ordinato, uti habetur in Extravag. 2. de simon. Idque intelligendum etiam videtur de prima tonsura; quia per eam usitato modo loquendi, aliquis ordinari dicitur, id est in Ordine Clericorum constitui; sicut ex communi notavit Vgol. tab. 4. cap. 3. num. 2. & c. 4. num. 1. Suarez c. 56. num. 5. contra Lessium dub. 24. num. 133. Adde quod Navarr. respondit lib. 3. consil. 59. de simon. edit. r. Avila

part. 3. de censuris disputat. 5. dub. 9. simoniam commissam in Reverendis seu dimissis commissam censeri in ordine, quandoquidem Reverendæ seu dimissoriae litteræ ordinantur ad ordines, tanquam media ad finem. Hucusque Layman.

2. Verùm contrariam sententiam tenet Baunius in prax. benefico. d. ff. 16. quest. 62. dub. 31. Nam cum verba legis poenalis proprie ac strictè capi debeant, & tonsura non sit ordo, sed dispositio ad illum, quæ poena contra ordinatos simoniacos sunt statuta, extendi ad tonsuratos non debent. Quæ opinio est Lessij c. 35. dub. 24. num. 133. ubi asserit: Non esse probabile vel le Ecclesiam ut incuratur excommunicatio, dando aliquid pro sigillo, aut literis testimonialibus, cum hoc sit mera redemptio vexationis.

3. Et hæc omnia docet etiam Palaus tom. 3. tract. 17. diff. 3. punct. 24. num. 1. sic asserens: Qui simoniace aliquid ordinat, aut ad ordinem sic conferendum mediator, seu praesentator existit, eo ipso est excommunicatus excommunicatione Papæ reservata; habetur in Extrav. 2. cum detestabile de simon. Hoc tamen secundum probabilem sententiam non extenditur ad collationem primæ tonsuræ; quia non est verus ordo, & poenæ debent restringi. Neque etiam extendi debet ad Notarium, & Ministrum, qui pro literis dimissorias, aut testimonialibus aliquid exigeret; neque etiam ad Episcopum, si post ordinem gratis collatum aliquid postea recipiat: nam esto, ij omnes peccent, & simoniaci sint juxta Trident. sess. 21. cap. 1. de reformat. non tamen incurrunt in hanc excommunicationem, neque in aliquam poenam ipso facto: quia illa verba Concilij dantes, & accipientes, ultra divinam ultionem pegas à jure inflatas ipso facto incurrant. debent referri tantum ad dantes, & accipientes ordines, non ad alias actiones illo in cap. enumeratas; quia solum pro dantibus & recipientibus ordines simoniace, aut illorum mediatoribus poenæ ipso jure latae sunt. Ita Palaus.

4. Sed hic quaeri potest. An suspensio qua puniuntur ordinati simoniace, incuratur per suspensionem cujuslibet ordinis?

5. Et existimant nonnulli eam non nisi per majores male collatos & receptos inveni.

Causa est, quod cum de poena agitur, hæc non cadat nisi in id, cui proprie nomen relæque convenit significata, ac vetita per canonem: At ex probabili quorundam sententia, non nostra tamen, majores ordines Sacramenta non sunt, sed sacramentalia: ergo eorum receptio extorta pretio non est suspensionis puniunda poena.

6. Confirmatur. In poenis sequenda est interpretatio mitior: at mitius est, cum qui minoribus est initiat per simoniam, suspensum non esse ab eorum executione, & receptione superiorum, quam esse: ergo in eam partem inclinandum est in favorem poenitentiam, quod est contra Suarez cap. 56. n. 5. lib. 4. de Simon. quod probabile quoque esse asserit Reginaldus tom. 2. lib. 23. cap. 12. sect. 1. n. 124. & hæc omnia docet Baunius, ubi supra.

7. Et quidem ordines Minores non esse Sacramenta, præstantissimi docent Theologi, quos ego alibi Atibi in to. 3. adduxi.

8. Notandum est hic obiter, veteres Theologos docuisse, ordinatum simoniace esse irregularem: ita Alensis in 2. p. q. 167. membr. 2. Scot. in 4. diff. 25. q. 1. art. 1. Richard. in eand. diff. art. 2. q. 3. his verbis: Respondeo sup. in tr. 5. quod simoniacus propter ordinis suspensionem simoniace suscepti, sive propter benefici consecutionem, est irregularis.

9. Sed contrariam sententiam tenendam esse puto cum Lessio lib. 2. capite 25. dub. 24. Suarez de Reli. & ult. & gione tom. 1. lib. 4. capite 56. numero 20. Baunio ubi ex lata de-

etina Ref. ^{supra}, & aliis. Ratio est ex iuris interpretum axioma-
te, irregularitatem extra casus iure expressos non
incurri: at non myenitur in Sacrorum Canonum
voluminibus eum irregularem esse, qui pecunia
Sacrum ordinem, aut beneficium nundinatur: er-
go, &c.

10. Deinde in Sixti V. Constitutione contra Cleri-
cos male promotos, non habetur nisi sola pena su-
spensionis, qua sola potest Romanus Pontifex exime-
re, ac adiecta admonitione, si post suspensionem hi
male promoti in susceptis Ordinibus ministrare præ-
sumplerint, futuros irregulares: non sunt ergo iure
factoque tales, sed erunt, si excommunicati celebra-
rint, aut suspensi.

RESOL. IV.

An Bulla Sixti V. contra male promotos ad Ordines sit
usu recepta, quoad absolutionem censurarum, & in-
habilitatum?

Et explanantur, quæ pæna sint lata in Ordinato simo-
niacæ?

Et an simoniaci occulti suspensio tollitur per penitentiam;
& manifesti per Episcopum post penitentiam? Ex p.
11. u. j. & Milc. j. Rel. 19.

§. 1. Nota, Sixtum V. edidisse Bullam quandam
contra male promotos, quæ incipit *San-
ctum, & salutare*, quam Bullam, etiam Clemens VIII.
ann. 1595. revocaverit, & ad jus commune reduxe-
rit, non tamen quoad pænas simoniacorum; imò
potius ibi dixit se velle in suo robore persistere eas
omnes, quæ sunt latæ contra simoniacæ ordinales, &
ordinatos.

2. Pæna verò latæ in ordinales simoniacæ sunt,
Prima, excommunicatio ipso facto, habetur in *supra-
dicta Extravagante*. Secunda, suspensio ab executione
suorum ordinum: ita in *supradicta Extravag.* & non so-
lum ejus quem sic suscepit, sed etiam omnium quos
habet: illa enim particula *suorum ordinum*, hoc indi-
care videtur; & ita tenet communis sententia: Greg.
Lop. leg. 11. tit. 17. par. 1. verb. *de dato por derecho*. Man.
Rod. secundo tomo. *summa* cap. 56. num. 6. *verf. el octavo*
Lectus dub. 25. n. 135. & Suar. tit. 5. de cens. disput. 31.
sect. 4. num. 33. quamvis probabilitate non careat; ut
tenent supradicti Doctores, solum extendi suspensio-
nem ad ordinem simoniacæ susceptum, non ad alios
rite susceptos, quia licet Pontifex loquatur in nume-
ro plurali, dicens, *Sint ab executione suorum ordi-
num suspensi*, illa locutio pluralis correspondet plu-
rali locutioni præcedenti; loquebatur enim de om-
nibus, qui ordinati sunt simoniacæ, & de illis sta-
tuit, ut sint à suorum ordinum executione suspen-
si, hoc est, quilibet à suo ordine simoniacæ susce-
pto, & omnes simul à suis ordinibus sic simoniacæ
susceptis.

3. His suppositis, ad dubium propositum in titulo
hujus resolutionis sic respondet Castrus Palas *tom. 3.*
tract. 17. disp. 3. punct. 24. n. 4. Tandem in supradicta
Bulla Sixti V. absolutio harum censurarum, & inhabi-
litarum Pontifici reservatur, simulque revocantur con-
cessionibus, & facultates Religiosis concessæ, & etiam
concessæ Episcopis in *Trident. sess. 24. cap. 6. de reform.*
Existimo tamen hæc in parte non esse hanc Bullam re-
ceptam, imò Lectus dub. 24. num. 134. *fin.* ait, hanc
Bullam plenique locis ignorari, ac proinde non esse
usu receptam. Idem indicat Sæ *verb. simon. num. 12.*
quatenus ait; simoniaci occulti suspensio tollitur per
penitentiam, & manifesti per Episcopum post peni-
tentiam.

Sup. doctri-
na contenta
in hoc &
seq. §. sup. in
tr. 3. lege
rel. 44.

4. Sed contrariam sententiam tenet Pater Tancre-
dus vir doctissimus, amicus meus de relig. tract. 2.
lib. 4. disp. 34. n. 6. quia Lectus dicit, Puto hanc con-
suetudinem plerisque locis ignorari, ac proinde non esse
usu receptam, quod verum est ubi ignoratur: at hoc
non infertur alibi non esse usu receptam, Bonacina
ait *quasi. 7. §. 6. num. 11.* sed id in Italia saltem non ad-
mitterem, & Suarius illam esse receptam supponit;
sic ejus doctrina procedit de omnibus censuris occul-
tis, exceptis iis in ordine, ita Sanchez *conf. moral.*
lib. 2. cap. 13. dub. 104. num. 45. & dub. 120. num. 1. &
Filliuc. cap. 13. num. 38. Huculque Tancredus, cui
adhæreo.

RESOL. V.

Notabilia quadam circa pænas contra simoniacos in-
flictas.

Et docetur pænas contra simoniam confidencialem nullas
esse, & pro praxi in textu hujus Resolutionis adscri-
buntur septem.

Et advertitur de pænis ipso iure latis nullam esse impos-
itam committentibus simoniam, nisi simonia fuerit
commissa in ingressu Religionis, in ordine, & be-
neficio.

Sed difficultas est, an dicta pæna incurvantur ante senten-
tiam prater excommunicationem? Ex p. 11. u. j. &
Milc. 5. Rel. 20.

§. 1. Dico primò, quod renunciate beneficia cum beneficiis
pacto de re aliqua faciendi, aut omittendi, aut
da, quæ iure non inest, est simonia; Est tamen ejus-
modi pactio quamvis simoniaca à pænis simoniacæ
rum libera. Sed probatur; nam ut Sylvest. *verb. Simo-
nia quest. 19.* nulla simonia pænas juris ipso facto in-
ducit, nisi in ordine, & beneficiis: quia Ecclesia præ-
dictis pænis non punit alios, quam qui propriè sunt
Simoniaci, traditione pretij pro re spirituali. At hoc
non accidit, cum simonia est talis tantum jure Eccle-
siastico: vera est ergo pars hæc assertionis, in qua
dicitur, conventiones reciprocas circa spiritualia,
simoniacas quidem esse, à pænis tamen, quæ si-
moniam concomitantur, liberas. Et ita hanc senten-
tiam tenet Baunius in *praxi benef. dispensatione 16.*
quest. 46.

2. Dico secundo, ad eos qui officia Ecclesiastica
sibi pretio comparant, non pertinere has pænas, quia
non sunt beneficia, & in pænalibus verba sumenda
sunt in notione sua propria. Item ab his quoque pæ-
nis esse liberos, qui beneficia sua auctoritate propria
permutant.

3. Ratio est, quod hic non interveniat propriè di-
cta simonia, cum non detur temporale pro spirituali:
ergo cum pæna restringi debeant, excommunica-
tio, quæ est una de pænis quibus jure Ecclesiæ ple-
tuntur propriè dicti simoniaci ad cõpermutantes
beneficia sua auctoritate propria, non se extendit,
cum non sint hi nisi jure Ecclesiæ tales proindeque
impropiè, de cetero tamen Innocentij III. beneficiis
sunt privandi, in quibus facta est permutatio, sic
enim ille, *cap. cum olim 7. de rerum permutat.* conse-
quenter post sententiam, quæ non est necessaria, ubi
reperitur propria simonia, ut patet in *Extravag. ci-
tata.*

4. Item, etiam assero, simoniam, Ecclesiasticam seu
censuram, aut quamvis aliam pænam juris non indu-
cere in ordine, beneficio, & Religionis ingressu. Et
ratio est eadem, nempe quod pæna juris eos dum-
taxat afficiat, qui propriè sunt tales, quales punire
Principi placet. At simoniaci simonia juris potius
&